

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum
Indultu Facultatis Inclytiae Philosophicae In Celeberrima
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

Lipsiae, 1698

§. X

urn:nbn:de:bsz:31-102642

§. X.

Justitia dicitur vel de *actionibus*, vel de *rebus*. *Justitia actionum* in sequenti §. definitur. Hic autem quid altera *justitia sit*, explicandum venit. Definitur ea communiter à *Moralistis* cum *Aristotele* per *habitum*, quo ad *agendum justa homines sunt idonei*, & ex quo *justa agunt voluntas*. Sed *vitio obscuritatis* definitio hæc laborat, cùm paronymon definiti ipsam definitionem ingrediatur. Sanè enim qui, quid *justitia sit*, quærerit, ignorat etiam, quid *justi vox* significet. Melior ergo longè ea, quam *Pufendorfius d. Offic. H. & C. L. I. C. II. §. 12.* tradit, quæ & habetur in *pr. J. d. I. & I.* cùm nempe definitur *justitia*, quod sit *constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi*. Cùm *voluntas* dicitur, non *actualem* intellectam volumus, sed *habitualēm*, seu *habitum animi recte volentis*. Ut igitur quis *juste* dicatur agere, requiritur, ut id, quod agit, vellet; fecis ergo, si per errorem quis bene faciat; Uti enim errantis nulla voluntas seu *electio & consensus est*, ita nec talis *actio justa* meretur dici. Neque verò *habitus* quicunque *voluntatis sufficit*, sed *constans* requiritur, h. e. qui sibi constat ex *recto intellectus iudicio*; quo indigitatur, *actiones ex proære si seu proposito, & intentione recta fieri debere*. Unde qui alteri *injuriandi animo* panem porrigit, *injuste* facit, quamvis cum alter acceptet. *Voluntas perpetua* desideratur, seu firma & stabilis; *vaga enim illa & ambulatoria* *juste* faciendi *voluntas*, neutiquam *justum virum* facit. *Materia* seu *Objectum* *hujus habitus est*, ut ex eo quis *suum alteri tribuat*; ubi per rō *suum* intelligitur, quicquid alteri debetur; Et hinc triplicia hominis *justi officia*: ut (1.) *suum tribuat DEO, recte de Eo sentiendo, & sincere eundem colendo*. (2.) *Sibi ipsi, castè se gerendo, animumque virtutibus atque scientiis excolendo*. (3.) *Proximo, tribuendo ipse, quicquid ei debetur*, sive ex *J. N.* sive *Gentium*, sive *Civili*. Cùm autem *absoluta stabilitas seu constantia in hominem ob imbecillitatem ejus non cadat*, hinc sufficit ad hoc, ut quis denominetur *justus*, si efficaciter & omni contentione animi intendat *actiones justas*; si efficiendis iis, quantum potest, operam naver, utut quandoque ex infirmitate humana *injuste* agat; quemadmodum vicissim *injustus* quandoque *juste* agit, non amore

C

virtu-

virtutis, & ut incumbenti obligationi satisficiat, sed metu pœnae,
quam lex transgressoribus minatur.

§. XI.

Justitia actionum præter congruentiam cum lege, in qua ca-
rum bonitas consilit, involvit relationem ad personas, ad quas il-
la applicantur.

§. XII.

Notissima justitiae divisio est in universalem & particularem,
quam non uno modo explicant. Communiter *justitiam universa-
lem* cum Aristot. dicunt exercitium omnium virtutum, cum nimis
homo secundum leges virtutibus incumbat, cum in finem, ut bene at
feliciter cum aliis vivatur, & Res publica sit beata. Vid. Eeb. 3. Par-
ticularem autem *justitiam* dicunt eam, que versetur circa bona exter-
na, seu dicunt *virtutem moralē*, qua quis aequalitatem servat in-
ter plus & minus in iis, que alteri in societate civili tribuenda vel
irroganda. v. Struv. *Jurispr. Rom. Germ. L. I. T. I. apb. 15.* Quaritur,
an haec divisio se recte habeat? Neg. Nam (1.) non est rei ipsius,
sed magis conceptuum & notionum, (2.) & universalis versatur cir-
ca bona externa, adeoq; haec vera divisio non est, etum unum mem-
brum dividens alterum subse comprehendat. Hinc si velimus, quod
res est, explicare, assumenda divisio Pufendorfi. Scilicet pro diver-
sitate debiti, diversa est justitia; *qua circa debitum naturale imperfe-
ctum occupatur*, est *Justitia universalis*; *qua autem circa debitum
perfectum est particularis*. Hinc etiam universalis versatur circa res
in commercium non venientes, & non spectatur, an, quod præstatut,
præcisè æquale sit causæ, ob quam debetur. Particularis autem ver-
satur circa res in commercium venientes, & ubi perfectum quis
habet jus,

§. XIII.

Hoc Jus autem vel descendit ex pacto expressè, vel tacite inter
membrum & societatem inito; vel aliunde. Ibi observatur *Justitia
distributiva*, sub cuius objectum imprimis cadunt honores & onera.
Quando enim quis societati adjungitur, ipse pacificetur quasi cum
societate, ut sibi pro modo operarum, quas societati præstitus es-
set, & onerum, quæ esset latus, commoda etiam atque honores
distrī-